malleolo instructum. et tandem 6. Silices varios fungos diversæ speciei exhibentes: Silices Fungitæ dicendi. Quibus subiungitur Lapis Tragomontanus in nostris alpibus admodum familiaris cum substantiâ suâ externâ et internâ ex albo et nigro variegatâ. — Lapis Tragomontanus.

Sectio III.

De aliis Lapidibus notabilioribus, nec adeò frequentibus, cum variis Calculis humanis, et bovillis.

§. 17.

Grammitæ argentei, et talcosi splendentes, cum Talco nigro splendente commixti. quod nunc punctula seu varias minimas maculas, nunc lineolas, nunc varias strias cum lineis crassioribus, sed brevioribus, cum lineis longioribus, sed tenuioribus hinc inde sese intersecantibus, quandoque Fulmen Jovis efformantibus, quandoque virgas maiores, et minores, imo integras Cruces ê virgis formatas in iis excitat, atque producit. — Grammitæ.

18. Varia Coagula lapidea, ex aquâ fluente, vel cadente efformata, nunc lutea, nunc arenacea, quandoque ceram liquefactam, et iterum coagulatam repræsentantia, quandoque scrotum humanum cum testiculis inclusis, quandoque testiculos solos exhibentia. ad quæ pertinent Lapides calcarii ab allidentibus undis mirè exesi, et propterea Undulati vocati: scabri, et læves. — Coagula lapidea.

19. Lapides ex animantibus desumpti: Calculi varii humani, et bovilli; inter primos adest — Calculi varii.